Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1429
Quelle:
Copyright:

CCCLXXIV.

903 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 209. 4. rubricis distinctus *Alcorani* integri Versionem latinam continet, cujus Autor e calce innotescit, ubi legitur: *Explicit liber Alcborani Machometi quem Marcus Canonicus Toletanus de lingua Arabica transtulit in latinam.* Sura I. ita inscribitur: *Alcborani Machometi libri Probemium.* Ita vero sonat: *In nomine dei misericordis miseratoris. Gloria deo Creatori gentium misericordi miseratori qui regnat in die legis. Te quidem adoramus. per te uiuamus. dirige nobis uiam rectam quam eis erogasti, non eorum contra quos iratus es dampnatorum.* Adscribam et ultimam: *Dic. defendo me cum creatore hominum, rege hominum de malo susurronis occulti, qui susurrat in pectoribus hominum, et demonibus et hominibus.* Capitula vocat Noster, censetque alia divisione CXVI. cum *Marraccius* tantum CXIV. Suras numeret, et Versio princeps agente *Petro* Abbate *Cluniac.* Seculo XII. a *Roberto Retenensi* seu *Ketenensi Anglo* et *Hermanno Dalmata* suscepta Azoaras CXXIV. Post Versionem hanc a *Theod. Bibliandro Basileae* 1543 et 1550. f. editam nostra vetustiorem ignoro; non enim *Job. Andreae* Mauri ad Christum Sec. XV. *Valentiae* conversi Traductio latina est, ut quis e verbis *Job. Fabricii Biblioth.* suae *Hist.* P. II. p. 222. praesumere posset, sed hispanica. Vide *Nic. Antonii Biblioth. Hisp. Vet.* edit. *Matrit.* 1788. curatam a Viro docto *Fr. Perez. Bayerio* T. II. p. 325. Atque in secundis his Viri hujus curis expectari etiam poterat quidquam de *Marco* nostro *Toletano* ejusque Versione *Corani* certius; verum Bayerius, T. *cit.* p. 372. quemadmodum *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. XII. ad *Lambecium* nostrum provocat, e quo L. II. p. 979. edit. *Kollar. col.* 917. nil aliud discas, quam *Codicem* nostrum ex Arce *Ambrasiana* huc translatum fuisse. Adpellat quidem *Bayerius* p. *cit.* ad *Notam* suam L. VIII. (dic VII.) C. 9. p. 44. *col.* 2. sed et ibi praeter *Marci* nomen nil invenias. Nec quidquam opis a *Colomesii Hispania Orientali*, aut *Wagenseilii* Praef. in *Tela ignea Satanae*, cujus p. 47. Versiones *Alcorani* sat jejune, ut T. I. *Marraccii*, enumerantur. Itaque de summa *Codicis* nostri raritate statues, qui Linguae *Arabicae* Peritis cum Αυτογραφῳ contendendus prostat. De alio Interprete non magis noto dixi *Cod.* seq.

CCCLXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 83. f. olim *Johannis Fabri* Ep. *Viennensis*, uti Formula typis excusa initio, et manu adscripta sub finem testantur, hunc praefert titulum: *Alcborani a Mahometho filio Abdale Arabis editi Qualitas. Distinguitur alcboranum in triginta Gem,* 186